

Quod fine capititis ait esse⁶⁸ *periculosum esse ex electis electos facere magistratus*, possibile quidem est, sed si bene educati et boni viri fuerint, cives nec malos eligent nec bonis sese opponent. Et si id tamen fecerint, non tantum damni affert, quantum sortiri magistratus, cum sors possit etiam omnes malos constituere. Tota ergo illius capititis accusatio et falsa et futile est.

Quod vero sequenti capite de quintupla bonorum possessione affirmat:⁶⁹ *Plus quam quintuplam esse minimae, cuique licere acquirere*, falsum est, quadruplum enim eum voluisse iam ostendimus.

Quod etiam capite ultimo ait:⁷⁰ *Mulierum ac filiorum et substantiae communio et commessationes mulierum*, Platonis fuisse inventum, totum falsum est. Nam commessabantur in Sparta ex Lycurgi legibus mulieres et communes erant quandamtenus, quod ex Plutarchi Lycurgo patet, ad cuius Lycurgi instituta videtur Plato totam suam rem publicam efformasse vel saltem ex Protagorae libris, quod Aristoxenus olim tradidit, ut autor est Laertius. Non ergo Plato illius communionis excogitator fuit. Haec ex libro 3. Politicorum.

Libro vero 4. capite 4. Aristoteles accusat Socratem⁷¹ *concinne, sed non sufficienter*, quod dicat:⁷² *Tanquam necessariorum gratia omnem civitatem constitutam, sed non magis boni*. Et aliud etiam:⁷³ *Sed pugnatricem partem non prius tribuit, quam regio sit aucta, et vicinis bellum attingentibus [356] in bellum procedat*. Procedit sane Plato eo ordine 2. Rei publicae, sed cur magis κομψῶς, *concinne* quam ἱκανῶς, sit dictum, non videtur ad se respexisse, qui quod

⁶⁸ τὸ ἐξ αἰρετῶν αἱρετοὺς ἐπικίνδυνον [ἐπικίνδυνον ἐξ αἰρετῶν αἱρετοὺς]. [ARIST. Pol. 1266a.26 – 27]

⁶⁹ πλεῖον δὲ τοῦ πενταπλασίαν εἶναι τῆς ἐλαχίστης {μηδενὶ τῶν πολιτῶν ἐξουσίαν εἶναι κτήσασθαι}. [ARIST. Pol. 1266b.6 – 7]

⁷⁰ ἡ τε τῶν γυναικῶν καὶ παιδῶν καὶ τῆς οὐσίας κοινότης καὶ τὰ συσσίτια τῶν γυναικῶν. [ARIST. Pol. 1274b.9 – 11]

⁷¹ κομψῶς {τοῦτο}, οὐχ [οὐτ'] ἱκανῶς [ARIST. Pol. 1291a.11]

⁷² ὡς τῶν ἀναγκαίων τε [γέ] χάριν πᾶσαν πόλιν συνεστηκοῦν, ἀλλ' οὐ τοῦ καλοῦ μᾶλλον. [ARIST. Pol. 1291a.17 – 18]

⁷³ τὸ δὲ προπολεμοῦν οὐ πρότερον ἀποδίδωσι μέρος πρὸν ἡ τῆς χώρας αὐξομένης καὶ τῆς τῶν πλησίον ἀπτομένης [ἀπτομένων] εἰς πόλεμον καταστώσιν [καθιστώσιν]. [ARIST. Pol. 1291a.19 – 22]